



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CLV. Argumentum. Continet hæc Decisio: 1. Quid sit Detractio? & Quot modis fiat? 2. Quæ somt præcipue Quæstiones in materia Detractionis non inorandæ à Confessariis? 3. Quot, & quibus noceat ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

probatissimis Authoribus. In illis, *Mense Januarii die 18.* habetur Vita S. Deicoli Abbatis Lutrensis, cujus tanta erat Sanctitas, ut accedenti ad oratorium Sancti Martini, de ratione cujusdam militis *Veisarii*, ostium ferreis pef-fulis, atque clavibus obferatum, miraculose aperiretur, ubi ingrediebatur S. Deicolus, & Orationi vacabat. Parochus illius Villæ, & custos clavium, cum id intellexisset, & obser- vasset, judicavit, ope Dæmonis id agere; & idem rustica plebs arbitrata spinas permultas ostio Sa- celli anteposuit, ut oraturus Sanctus accedens ipsis configeretur. Sed spinis ad ejus adventum recedentibus, notitia data est *Veisario* militi, Ecclesiolæ Patrono, qui eundem Sanctum ju- dicavit Necromantem, & maleficum, jussitque illum comprehendi, & castrari. Vix expedie- rat injustum decretum, cum dolore nimio *Veisarius* correptus in genitalibus, fuit ab uxore monitus, deinjuria decreti; sed *Veisarius* in falso suo judicio residens, præ dolore obivit.

Prima die Martii in Vita S. Rodefindi Episcopi Dumienfis in Gallia habetur, qualiter huic 27 Sancto visitanti Sanctam Senorinam Abbatissam, eidem sanguine conjunctam, ab eadem flos donatus fuit, dum simul alloquerentur: quod cum duo fabri murorum vidissent, judicaverunt temerè, suspicati inter eosdem Sanctos aliquem subsistere inordinatum affectum. At id cogi- tantes è tecto domus ceciderunt, & in terram collisi expirarunt; quos tamen S. Rodefendus, pro eis orans, revocavit ad vitam; & deinde suum judicium temerarium prodidere. His dicenda erant Verba Sancti Augustini *tract. 90. in Joan.* *Quamquam & in his rerum tenebris hu- manarum, idest cogitationum alienarum suspensiones vitare non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, idest definitivas, firmasque sententias continere debemus, neque ante tempus judicare, donec veniat Dominus, ut illuminet abscondita tenebrarum.* Plures habentur Casus in Historia Miscella- nea Sacra P. Menochii *par. 1. 2. & 3. in Verb. judicio temerario*, quos legisse non pigebit Ani- marum Pastores.

DECISIO CLV.

ARGUMENTUM.

Continet hæc Decisio: 1. Quid sit Detractio? & Quot modis fiat? 2. Quæ sunt præcipuæ Quæstiones in materia Detractionis non ignorandæ à Confessariis? 3. Quot, & qui- bus noceat Detractio? 4. Quando, & Quo- modo sit restituenda Fama; & alia damna ex Detractione sequuta? 5. Quanta sit ma- litia Detractionis? 6. Quibus remediis tan- to crimini obviandum?

SUMMARIIUM.

1. Contumelia quid sit? & quot modis fiat?
2. Detractionis definitio, & ejusdem explicatio.
3. Detractio tripliciter committitur.
4. Detractio quando sit mortale peccatum?
5. Infamare seipsum an liceat?
6. Falsum crimen fateri an liceat ad evitanda tormenta?
7. Peccatum publicum in uno loco, an possit in alio publicari?
8. Detractorem audiens, an teneatur restituere famam?

9. Infamatus injustè, an possit condonare restitu- tionem suæ famæ?
10. Fama an possit compensari cum pecunia?
11. Cause ostio excusantes a restitutione famæ.
12. Detractio nocet tribus personis simul.
13. Detractor confiteri debet etiam finem, quem habuit detrahendo.
14. Detractores difficilè sunt absolute digne.
15. Casus curiosus detractoris confessuri coram uno, deinde alio famoso Theologo, & ab utro- que rejecti.
16. Fama quando sit à detractore restituenda?
17. Et quomodo sit facienda restitutio?
18. Restitutio famæ quomodo fiat, ob crimen ve- rum, sed occultum?
19. Detractionis quanta sit malitia, & gravitas?
20. Ursini Monachi detractoris punitio.
21. Detractores pauci salvantur.
22. Remedia sexdecim ad extirpandum detractio- nis vitium.
23. B. Egidii, & B. Jordani dicta de detra- ctoribus.
24. Prioris Abbatis lepidum factum circa detra- ctiones.
25. S. Arnulphi Episcopi detractores graviter pu- niti.
26. Accusator iniquus famuli Sanctæ Elisabeth Regine Portugaliæ gravissimè à Deo punitus.

Quò ad Primum. Dixere; Duobus modis 1. offendi alterius famam, & honorem; vel in ejus præsentia per Contumeliam: vel in ejus absentia per Detractionem. Contumelia est actus injuriosus, quo publicè, & ut plurimum in præsentia obicitur alicui crimen, vel defectus, ad diminuendam ejus famam, & honorem. Et multipliciter fieri potest, nempe convici- ando, impropinando, susurrando, irridendo, deridendo, & subsannando per varios motus corporis, de quibus S. Thomas 2. 2. *quæst. 74. & 75.* Aliquando fit contumelia etiam con- tra absentem, dum libellis famosis offenditur, 2 seu litteris, vel verbis injuriosis ad eum missis. At Detractio est injusta lesio, seu denigratio aliene famæ per occulta Verba, cum intentione nocendi. Dicitur *injusta lesio*, quia si crimen proximi ma- nifestetur Superiori ex motivo justitiæ, seu charitatis, non est detractio; neque dum re- quiritur ab aliquo Superiore consilium, seu in- formatio pro conferendo officio, seu beneficio, pro recipiendo Novitio, vel Novitia in Religione; vel si agatur de ineundo Matrimonio, aut de impediendo aliquo gravi malo, puta si famulus sit fur, si accu- satus sit innocens, si medicus sit im- peritus? tunc enim qui scit defectus, & re- velat, minimè peccat; dummodò secretè faciat; atque ex motivo charitatis, & cum Superiore, seu alia persona prudenti. Excepto tamen si sciret in Confessione Sacramentali, quia ob reverentiam Sacramenti, nunquam licet uti hac scientia pro quovis malo impediendo. Dicitur per *occulta Verba*; quæ triplici modo possunt proferri. Vel falsum crimen alii imponen- do, vel verum crimen augendo. Vel occultum ma- nifestando; & in unoquoque ex his modis com- mittitur detractio. Dicitur *Cum intentione no- cendi*. Quod accidit dupliciter. Primario, quando quis ad hunc finem detrahit, ut no- ceat famæ alterius. Secundario, cum quis lo- qui-

quitur malum de proximo ex loquacitate, & ex malo habitu absque intentione nocendi. Est autem Detractio, peccatum mortale, nisi excuset levitas materiæ; quæ arbitrio prudentis viri est ponderanda, & desumenda vel à *qualitate persone*, cui fit detractio; an ei sit parum, vel multum nociva, puta si sit miles, vel religiosus, de cujus incontinentia sit habitus sermo, vel si sit Juvenis, aut Vir. Nobilis, vel Plebejus. A *qualitate sermonis*, puta si versatus fuerit super iracundia, litigiositate, aviditate, qui defectus non multum infamant; vel super blasphemis, fraudibus, impudiciis, & aliis, quæ valde famam gravant. Ita Mastrius in *Theol. Moral. disp. 8. num. 51. 52 & 53.* Eminen. Card. Tolet. l. 5. c. 63. & Laym. lib. 3. tract. 3. p. 2. cap. 3. an. 1. & seqq.

Quò ad Secundum. Præcipue quæstiones non ignorandæ à confessariis circa hanc materiam Detractionis, sunt septem. *Prima*: An sit mortale infamare seipsum? Alii affirmant, quia nemo est Dominus suæ vitæ, vel famæ, & sicut nullus potest se occidere, sic neque prodigere suam famam, seipsum infamando. Alii negant esse mortale, quia homo est Dominus suæ famæ; quæ est inter alia bona per industriam hominis acquisita; idè potest eam prodigere, sua peccata manifestando; maxime ex motivo humilitatis, ut fecit S. Augustinus in suis confessionibus, & alii Sancti; & hæc est verior opinio, dummodo ex ea non sequatur scandalum, & motivum aliis peccandi; vel nisi hæc voluntaria sui infamatio noceat aliis, vel spiritualiter, vel temporaliter. Mastrius d. *disp. 8. num. 75.* *Secunda*: Crimen occultum à se commissum potest quis spontè Judici revelare, & pœnis à legis latis se subicere: an ad evitanda tormenta, an possit saltem crimen fateri? ardua est quæstio; Negat enim Eminentiss. Card. de Lugo de *Justit. & Jur. disput. 14. sect. 10.* Affirmant alii citati à Mastrio d. *disp. 8. num. 77. & 78.* Quia ajunt, iste committeret mendacium mere officiosum, ad evitanda tormenta; quamvis ex confessione esse capite plectendus, non enim intendit mortem sibi inferre, sed se à gravissimis tormentis liberare. Et hanc affirmativam opinionem veriore dicunt DD. dummodo aliis non noceat, quam ipsi fatenti. *Tertia*, an sit mortale, si peccatum alicujus publicum in uno loco, manifestetur in alio loco, in quo erat occultum? Et digladiantur inter se Theologi; alii affirmant esse mortale, quia est contra charitatem, & contra justitiam; puta si mulier, quæ fornicata sit Venetiis, veniat Patavium, & cum honestate vivat, habet Jus retinendæ bonæ famæ, & qui ejus lapsum manifestaret, contra justitiam, & charitatem peccaret. Alii negant, quia commune est Historiographis, scribere peccata hominum, & ea ubique propagare. Concordantur hæc opiniones, cum distinctione. Vel alicubi crimen, est publicum ex injusta publicitate, scilicet ob detractum proveniente? & non licet alibi manifestare, vel publicitas provenit ex sententia Judicis, aut ex facto publico ipsius delinquentis, & tunc non est peccatum ubique manifestare; nisi forsan contra charitatem, quando aliquod damnum proximo resultaret. Ita Mastrius d. *disp. 8. num. 80. usque 86.* & Layman d. *lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 3. num. 8. 9. & 10.* Eminen. Cardin. Toletus lib. 5. cap. 65. *Quarta*, an qui audit detra-

ctorem, non solum peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem famæ? Et peccare, ac ad restitutionem famæ teneri ajunt DD. si audiens provocavit, seu invitavit detractorem ad detrahendum. Quòd si spontè detractor coepit, detrahere, & audiens ipsum non corripuit, peccavit contra præceptum correctionis fraternæ, maxime si sit Superior, & id facere poterat sine gravi incommodo; secus autem si cum magno incommodo, vel verecundia, ut si esset pauper famulus, vel idiota inter magnos viros; an non est obligatio restitutionis. Layman. d. *cap. 3. n. 14.* Mastrius d. *disp. 8. num. 87.* *Quinta*, an infamatus possit condonare infamiam sibi ab aliquo injustè impositam? Et licet Cajetan. & alii negent, communior opinio est, quòd possit, dummodo injustè infamatus non sit Persona publica, vel Religiosus; quia ejus condonatio læderet officium, vel Religionem; quòd est etiam dicendum, si alteri personæ illa condonatio læsionem causeret; puta filiabus maritandis, consanguineis nobilibus, aut aliis conjunctis. Mastrius d. *disp. 8. num. 72.* *Sexta*, an famasitio refarcienda cum pecunia? Et negativè DD. respondent, quia non est æqualis conditionis; *Melius est enim bonum nomen, quam divitiæ multe.* Prov. 22. 1. Cæterum ratione damnorum ex detractone provenientium, potest compensatio fieri in pecunia; prout etiam si Judici ita videretur, attenta qualitate personarum, vel ipsæ partes ita transigerent ad compensandam infamiam. Mastrius d. *disp. 8. num. 89.* *Septima*, quæ sint causæ excusantes à restitutione? Et notantur sequentes. 1. Si infamia abiit in oblivionem. 2. Si fides præstita non fuit detractori, tanquam homini malæ linguæ, & perversæ loquacitatis. 3. Si alia via, vel ab aliis erat illud crimen diffamatum. 4. Si fama recuperata sit alio modo. 5. Si restitutio fieri non possit, nisi cum periculo vitæ; nam vita, ex communi Theologorum sensu, est altioris ordinis, quam fama. 6. Si detractor pateretur jacturam propriæ famæ, quæ in ipso esset longè majoris momenti, quam illa, de cujus restitutione agitur, puta si detractor esset persona Publica, Vir nobilis, at infamatus esset plebejus, cui alio modo posset famam compensare ad arbitrium prudentis viri. 7. Si ut diximus, infamatus spontè condonet hanc injuriam, & remittat hanc restitutionem, nisi de aliorum læsione tractetur. 8. Si impossibilis facta sit restitutio famæ, quia ad impossibile nemo tenetur; cum hac tamen advertentia, ut saltem aliqua compensatio fiat damnorum, quæ ut plurimum eveniunt à detractone, inspectis circumstantiis locorum, & personarum. Mastrius d. *disp. 8. num. 56. & 71.* & Layman. d. *lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 7. ubi num. 4.* advertit, per mortem detractoris cessare obligationem restituendi famam, sed remanere obligationem refarciendi damna; quæ transit ad hæredes, quia est realis. Panimoll. *decis. 113. num. 20.* Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 21. Sæ Verb. *Restitutio num. 18.* & Clavis Regia lib. 11. cap. 7. num. 36.

Quò ad Tertium. Detractio nocet tribus personis. Illi, cui detrahitur. Illi, quæ detractorem auscultat. Et ipsimet detractori. Primò nocet illi personæ, cui detrahitur, id est de qua malum dicitur, seu crimen refertur, sive falsum, sive verum, at occultum; & nocuum est gravissimum, majus furto, quia ut diximus, Me-

tius est nomen bonum, quam divitia multa. Prov. 22. 1. Et peius furto, quia qui furatur, scit quantitatem rei restituendæ, & modum, quo vel per se, vel per alium fieri potest restitutio; at per detractio- nem aufertur fama, & bonum nomen, quod est inæstimabile, & solent evenire damna multa; ideoque comparatur homicidio. cap. Homicidio- rum. de Penit. diff. 1. Et morsui venenoso, & mortifero. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Eccles. 10. 11. Secundo: Lædit illum, qui auscultat detractorem. I. Quia illum facit reum peccati mortalis: juxta illud Sancti Bernardi lib. 2. de Consider. ad Eugenium, Detrahere, aut detrahentem audire, quid ho- rum damabilius sit, non facile dixerim. II. Quia dat ei scandalum, & multi audientes peccata aliorum, Dei timorem dimitunt, & audent ipsi quoque peccare. Sedens adversus fratrem tuum lo- quebaris, & adversus filium Matris tuæ ponebas Scan- dalum. Psalm. 49. 20. III. Quia audiens est causa, quod detractor peccat, & magis exercetur in vitio detractio- nis, nam Latatur homo in Sen- tentia oris sui. Prov. 15. 23. Detrahit lædit po- stea ipsum Detractorem. I. Quia committit pec- catum gravissimum contra charitatem, & con- tra justitiam, quod Deus summe odit. Detraho- res Deo odibiles. Rom. 1. 30. II. Quia in hoc vi- tio inest livor, odium, animus vindictæ, vel alius malus finis contra diffamatum; de quibus spe- ciebus peccatorum debet detractor in confes- sione se accusare. S. Thomas 2. 2. quæst. 73. art. 3. ad 3. III. Et sicut fœtor lucernæ fumantis facit abortiri mulieres; ita detractio est in causa, ut infamatus sæpe deferat Dei servitium ob ca- lumnias sibi illatas, juxta illud: Redime me à ca- lumniis hominum, ut custodiam mandata tua. Psalm. 118. IV. Quia ex malo habitu detrahendi, & male de proximo loquendi resultat malus habitus vi- vendi; siquidem, ut plurimum, qui male loqui- tur, male vivit, & male moritur. Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa, propterea Deus de- struet te in finem. Psalm. 5. 4. V. Quia non in- venit peccatum difficilius in confessione, ut experientia docet, ob restitutionem famæ, quæ difficillima est tum in se, tum in renitentia de- tractorum; & tamen non remittitur peccatum, nisi restituatur injuste ablatum. cap. Peccatum 4. 14 De Reg. Jur. in 6. VI. Quia ut plurimum De- tractores sunt incapaces absolutione, & ruunt in infernum. Attende ne forte labaris in lingua: Et sit casus tuus insanabilis in mortem. Eccl. 28. 3. Nar- randum exemplum Equitis, qui infamaverat cas- tam Matronam de Adulterio, & confessus pec- cata sua coram Alphonso de Castro Scotista insigni, vix se accusavit de hac detractio- ne, quod furens Confessarius ei dixit, ad infernum, ad infernum, non est remedium, & abiit. Afflictus poenitens ex hoc rigore, post aliquot dies accessit ad P. Vi- ctorem Theologum Thomistam Ordinis S. Do- minici, cui narravit rigorem, & verba Alphonsi de Castro: Sed P. Victoria illum consolatus, cœ- pit audire confessionem, & intellecta detractio- ne, ait, utique extat remedium; videlicet retra- ctatio hujus impostura, & restitutio famæ. Respon- dit Poenitens: Ego nunquam retractabo, quod dixi, ne videar mendax. Tunc P. Victoria; utique pru- dentior me fuit P. Alphonsus, qui exclamavit, non extare remedium; cognovit enim ab initio, poe- nitentem non esse retractaturum calumniam, ideoque ad infernum damnandum; & ipse quo- Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

que P. Victoria exclamans ad infernum, ad infer- num reliquit Equitem obstinatum, & impœni- tentem. Menochius in Storeis cent. 4. cap. 26. Et P. Segneri in Christ. Instr. part. 1. Serm. 29. num. 25.

Quò ad Quartum. Quando, & quomodo sit re- 16
stituenda fama, & alia damna ex detractio- ne sequuta? Fama est restituenda, quando concurrunt hæc tria: Si reipsa fuerit ablata; si ablatio fuerit injusta; si non fuerit recuperata. His tribus concurren- tibus, inest obligatio restituendi famam; ut omnes Theologi affirmant, quos citat Mastrius dict. disp. 8. n. 52. Modus autem restituendi famam est, quando ablata fuit per impositionem falsi criminis, ut detractor se retractet coram il- lis, qui eum detrahere audierunt per media tam efficacia, qualia fuerunt illa, quibus causavit ma- lam opinionem proximi sui; addendo, si opus sit, Juramentum, ac alia opportuna testimonia, ut audientes credant, crimen impactum fuisse calumniam; etiam in hac retractione periclite- tur fama ipsius detractoris, nisi esset altioris gra- dus, & posset refarcire famam, & damnum in- juste illatum proximo inferioris conditionis, alio opportuno modo, secundum prudentiam boni viri. Utrum autem retractatio sit facienda 17
tantum coram illis, à quibus auditus fuit detra- here, vel etiam coram aliis, ad quos detractio pervenit? distinguendum est: vel enita primi auscultantes erant personæ secretum moraliter servaturæ? & sufficit, si coram ipsis fiat retracta- tio: vel tales erant, à quibus moraliter cognosci poterat, detractio- nem esse divulgandam, & di- latandam? & in hoc casu restitutio famæ, & re- tractatio fieri debet coram omnibus, & singulis male opinantibus de injuste infamato; adeo ut aliquando expediat, retractionem publicare facere vel per Concionatores à suggestu, vel per Præcones in locis publicis, ut notant DD. apud Emin. Card. de Lugo de Just. & Jur. disput. 15. sect. 2. Mastrius d. disput. 8. numer. 58. 59. 60. & 61. Clavis Regia lib. 11. capit. 3. numer. 27. & Cæsar. de Panimollis dict. decis. 113. num. 14. Et ad dictam retractionem, ut supra facien- dam, tenetur etiam ille, qui falsum crimen alicui detrahendo imposuit per errorem, quando com- perit, se dixisse falsum. Qui verò alterum infa- 18
mavit, revelando ejus crimen occultum, tenetur ad restitutionem famæ; sed non debet menda- cium dicere, idest, quod dixi, non est verum; sed se retractabit dicendo, imprudenter loquutus sum, absque debita informatione, fatue, insipienter, ideo ne credatis, & si credideritis malum, quod dixi, sciatis vos peccare, & à Deo puniendos. Ulterius debet, quantum potest, commendare, & honorare à se infamatum, ut eruditè docet Mastrius dict. disput. 8. à numer. 64. & seqq. Reginaldus lib. 10. num. 341. Bonacina de Restit. in part. disp. 2. quæstion. 4. punct. 15. numer. 2. Eodem modo mensuran- dus est accusatus in Judicio absque sufficien- tibus indiciis, qui negavit crimen; & dixit, accu- santem esse calumniatorem; nam debet saltem per sobria verba commendare eundem Accusato- rem, dicendo, talem non esse tenendum calu- mniatorem, quia ex malis informationibus, & bona intentione detulerit accusationem in Judi- cio. Mastrius ubi supra num. 68.

Quò ad Quintum. Quanta sit malitia detractio- 19
nis? Respondet S. Jacobus Apostolus: Ecce quantus ignis quam magnam Syram incendit? Et lin-

Hh

gua

Qua ignis est, universas iniquitatis. Jac. 3. 5. Et non solum lingua est ignis comburens famam, honorem, pacem, & vitam proximorum, sed ignis infernalis. *Lingua inflammata à gehenna. ibid. 6.* Refultat hæc malitia. I. Quia multi detrahunt sub specie laudis, nempe persona illa devota est, servit Deo: sed amat pecuniam. Quis fert, quantas usuras, & fraudes committat? Laudant mulieris honestatem, sed subdunt, habet tamen amicitiam intrinsicam cum N. & sic qui audiunt, deponunt bonam de ea opinionem. Hæc detractio similis est strygebis, quæ blandiendo inficiunt puerulos maleficiis. Olaus Magnus *libr. 1. cap. 1.* II. Alii præmittunt, se revereri, amare talem personam, sed subdunt statim detractio- nem, quæ magis creditur, quasi ex compassione dictam; imitantes serpentem quendam, dentes non habentem, sed spuma venenantem. *Alcianus libr. 4. capit. 36.* Hinc S. Bernardus *serm. 24. in Cantic. ait: Videas vultu mesto emitti maledictionem, tanto persuasibiliorem, quando creditur magis condolenti affectu, quam malitiosè proferri.* III. Alii augent crimen proximi, adeo ut quod minimum est, repræsentent tanquam maximum; ut fecit Soror Moysis, quæ vocavit uxorem ejus Æthiopissam, & tamen talis non erat, sed orta erat ex Madianitis versus Æthiopiam, *Num. 12. 1.* IV. Alii peiores belluis neque famæ mortuorum par- cunt; quamvis Leo si cadaver reperiat, vel feræ, vel hominis, illud relinquat intactum. Ursinus Monachus Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Cavæ detrahebat famæ Ven. Petri Abbatis ejus Superioris defuncti. Nocte vidit illum sibi im- nantem; & deinde flagello humeros sibi percu- tientem tanto dolore, ut exclamans excitaverit omnes Monachos, quibus visionem narravit, & culpam suam detegit. Hier. à Basil. Petr. in *Me- tamorphos. Centur. 5. Cas. 10.* V. Malitia hujus vitii se extendit contra quoscunque, neque par- cit Superioribus, Religiosis, aut beneficientibus, juxta illud: *Si inimicus meus maledixisset mihi, susti- nuissim utique; & si is, qui oderat me, super me ma- gna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimes, dux meus, & notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos. Psalm. 54. 13.* Ideo sequitur, *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes. ibid. 16.* VI. Quia scilicet pauci detractores salvantur, tum ob difficulta- tem restituendi famam, tum ob defectum dolo- ris, adeo enim delectantur murmuratione, & detractio- ne, ut fiant incapaces pœnitentiæ. *Fir- maverunt sibi sermonem nequam. Psalm. 30. 6.* Et ad instar Neronis cytharam pulsantis, quando in- cenderat Romam, detractores exultant, combu- rentes honorem proximorum.

Quo ad ultimum. Quibus remediis tanto crimini
22 sit obviandum? Collegi ex responsis amplissimi
nostri Cleri sequentia remedia, & exempla ad
terrendos detractores.

1. Monendi fideles, ut dum detrahentem au-
diunt, illum corripiant. *Detrahentem seceret pro-
ximo suo, hunc persequabar. Psalm. 105. 5.* S. Au-
gustinus in triclinio hos versus posuerat, mo-
nendo sodales, ne alicui detraherent:

*Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc Mensam indignam noverit esse sibi.*

2. Vel saltem sermonem detractoris interrup-
pant; & alium, quo nemo lædatur, introducant,
ut de Thoma Mauro, Angliæ erudito, ac pio

viro historiæ referunt; ipse enim cum in con-
versatione audisset quendam detrahere inci-
pientem, illum interrupt, dicens, quàm pul-
chra est domus hujus architectura? Amabo,
consideremus eam. Menochius in *Hist. Mi-
scellan. part. 1. §. 9.*

3. Vel saltem non latè detractor audiatur, sed
ei vultus adversarius ostendatur; nam sicut Ven-
tus Aquilo dissipat pluvias, sic facies tristis linguam de-
trahentem. *Prov. 25. 23.*

4. Vel potius audientes discedant, fugiant,
juxta illud, *Detractoribus ne commiscearis. Prov. 24.
21.*

5. Quod si fugere, aut discedere non pos-
sint, non credant detrahenti; docet enim ex-
perientia, homines loquaces falsa dicere, & re-
ferre. Igitur quisque custodiat aures suas, &
obediat oraculo Divino dicenti: *Sepi aures
tuas spinis; linguam nequam noli audire. Eccl. 28.
28.*

6. Præcipue autem caveant, qui audiverunt
detractio- nem, ne eam aliis dicant. *Audisti ver-
bum adversus proximum tuum? Commoriatur in te,
Eccles. 19. 10.* Hinc in Exodo jussit Domi-
nus, ut supprimeretur, quidquid esset emunctum
e lucernis Templi, ne malus odor evagaret. *Fe-
cit & lucernas septem cum emunctis suis, & vasa, ubi
ea, quæ emuncta sunt, exstinguantur, de auro mundifi-
cimo. Exod. 37. 23.*

7. Et sciant auditores, quod qui promptè au-
dit detrahentem, peccat mortaliter. S. Thomas
2. 2. *quæst. 73. art. 4.*

8. Detractores verò sunt monendi, & gra-
viter increpandi, ut à tanto facinore abstineant,
juxta Præceptum Divinum. *Ciffodite vos à mur-
muratione, & à detractio- ne parcite lingua. Sap. 1.
11.*

9. Ostendenda obligatio restituendi famam,
difficultas in restituendo; & morale periculum
damnationis æternæ. *Dilexisti omnia verba præci-
pitationis lingua dolosa, propterea Deus destruet te in
finem. Psalm. 5. 4.*

10. Docendum, ut homines discant filere, &
parce loqui, juxta documentum Apostoli: *Sic
autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem
ad loquendum. Jac. 1. 19.* Ea ratione, quia: *In
multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur
labia sua, prudentissimus est. Prov. 19.*

11. Considerandum dictum illud B. Agidii,
quod expediret, homines esse gruibus similes in
longitudine colli, ne tam citò ex eorum gutture
verba egrederentur. Menochius in *Hist. Mi-
scellan. part. 2. §. 363.* Et illud B. Jordani, quod
voces hominum sunt similes vocibus canentium
in Choro, qui incipiunt altiori tono, sed in fine
Psalmi sunt semper deficientes. Sic homines in-
cipiunt conversationes alto, hoc est virtuoso
sermone, qui in decursu descendit ad detractio-
nes. Menochius *ibid. §. 375.*

12. Monendi fideles, ut potius confide-
rent sua crimina, suos defectus, suas imperfe-
ctiones, sic enim abstinebunt à detractio- nibus.
Idè narrandum lepidum factum Abbatis Prio- 24
ris, qui coram Monachis venit cum Sacco, vul-
gò bisaccia; cujus anterior pars continebat arenam
paucam, posterior verò plurimam, & ait: *Iste Sac-
cus, qui habet multam arenam, mea peccata sunt, quo-
niam plurima sunt iniquitates meæ, & ecce dimissæ*

ea super dorsum meum, nolens ea videre, ut pro illis doleam, vel plangam. Et ecce pauca hac delicta fratrum meorum ante oculos meos posui, & crucior in ipsis, condemnans fratres. Sed non oportet sic iudicare: sed magis ante me adducere, & de ipsis cogitare, & rogare Deum, ut indulgeat mihi. Menochius *dict. Histor. Miscellan. part. 3. §. 58.* ex Rufino de *Viris Patr. num. 136.*

13. Ideo inculcandum, quod spoliabitur omni iustitia, & virtute homo ille, qui non custodiet ostium laborum. Sicut Urbs patens, & absque murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *Prov. 25. 28.*

14. Advertendum, quod qui ex habitu detraxit proximo, semper est in immunditia peccati: nam Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. *Num. 19. 15.*

15. Et ex detractioe oriuntur criminalitates, quaestiones, & ruinæ domorum. Si invicem morderis, & comeditis: videte, ne ab invicem consumamini. *Gal. 5. 15.* Siquidem: Qui custodit os suum, custodit animam suam. Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Prov. 13. 3.*

16. Frequenter referenda exempla iræ Divinæ contra murmuratores, & detractores famæ proximorum. Quia murmuravit Maria Soror Moysis adversus eum, apparuit candens lepra quasi nix. *Num. 12. 10.* Quia Israelitæ murmuraverunt in tabernaculis suis: Deus elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto. *Psal. 105. 25.*

17. In Vita S. Arnulphi Episcopi Metensis die 16. Augusti apud Bollandum legitur, Noddonem hominem scelestum obtrectasse, & detraxisse famam ejusdem Sancti Episcopi, dicendo, ad eum noctu Reginam properare sub prætextu consiliorum ad malum finem. Sed alio dormiente cum detractore, flamma divinitus immissa omnia illorum vestimenta corripuit. Aquam expetunt, sed injecta nil juvat. Ardebant acriter circa nates, & verenda interula detractorum, nec poterant illas exuere. Exiliunt foras, & instar porcorum in luto sese vociferantes volutant; sed magis, magisque in eorum membra genitalia ignis sævit, ut sic iusto Dei iudicio illis in locis poenas luerent, de quibus Sanctum Virum sua obtrectatione infamare voluerunt. Bagattam *Admirand. Orbis Christiani tom. 1. part. 2. capitul. 1. §. 12. numer. 9.*

18. Memorabile illud exemplum proderit narrasse, quod habetur in Chronicis Sancti Francisci 26 *part. 2. libr. 8. capit. 28.* De Sancta Elisabeth Regina Portugallie, cujus Celliotam, ob Dei timorem, quem præferebat, Regine gratum, Aulicus detractor apud Dionysium Maritum, & Lusitanum Regem falso criminaverat, tanquam impure dilectum. Hac Rex detractioe agitatus, transiens penes ardentem fornacem, calcariis ad se vocatis secreto iussit, ut quem crastina die ad eos misisset cubicularium, statim comburendum in fornacem mitterent. Mane sequenti Rex vocat ad se innocentem Regine Celliotam, eique mandat, ut ad prædictos calcarios iret, qui statim paruit: sed Deo illum protegente, ante Ecclesiam transiens, signo Missæ intellecto, ingreditur, & tres, unam post alteram, Missas audit. Interim Rex sui præcepti executionem scire cupiens, viso detractore, eundem ad fornacem milit, ut peteret, quid actum? & sibi responsum daret. Impius accusator accurrens præcucurrit Celliotæ pio; illumque calcariis cum vidissent, juxta Regis iussum projece-
runt in fornacem. Paulo post accessit, qui Missæ

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Sacrificiis fuerat immoratus; petivitque an satisfactionem præcepto Regis? Homines illi affirmarunt, satisfecisse, quod reportavit Regi, qui stupens, & causam moræ illius, ac mortis detractoris cum scivisset, expavit Divinum iudicium, & Regine Uxor, ac ejus Cubicularii innocentiam admiratus, veneratusque fuit. Alphonsus Rodriguez in *Exercit. Perfect. Christian. part. 2. tractat. 8. capit. 16.* Vere igitur Detractores Deo odibiles. *Rom. 1. 30.* quos semper vindex Deus punivit, ut aliis exemplis facile comprobabunt Animarum Pastores, & Concionatores; de quibus apud Sacros Historiographos, & Matthæoli in *Sylvapar. 1. lib. 6. tit. 48.* quorum lectione, & ferventi prædicatione proximum hoc Detractionis crimen eliminabunt.

DECISIO CLVL

ARGUMENTUM.

Invehit hæc Decisio contra Calumniatores, & quia plurimum calumnie procedunt vel à Forensibus, vel ab Aulicis, de his præcipue agitur, juxta numeros sequentes; videlicet: 1. Quid sit Calumnia? 2. Quarum personarum proprium sit calumniari? 3. Quanta sit excellentia Advocatorum? 4. Quæ boni Advocati requisita? 5. Quæ mali Advocati fors, & obligatio? 6. Quæ peccata Procuratorum in litibus? 7. Quæ poenæ statutæ de Jure contra Calumniatores in Judicio? 8. Quæ Notariorum culpæ? 9. Quæ Aulicorum crimina? 10. Quæ Invidorum flagitia? 11. Quibus argumentis deterrendi Calumniatores? 12. Quibus confortandi calumnias patientes?

SUMMARIUM.

1. Calumnia quid sit?
2. Calumniatores fingunt zelum iustitiæ. Exempla à Scriptura Sacra.
3. Calumniatorum genera tria. Et quæ?
4. Juramentum calumnie quid contineat?
5. Aulicorum est calumniari.
6. S. Bernardus calumniis impetitus apud Innoc. II. & Eugenium III.
7. Medicus Alex. Magni calumniatus de proditiōe. Item alia exempla.
8. Invidia quid sit? Ex ea calumnia.
9. Invidorum calumniantium Historia.
10. Advocatorum laudes.
11. Advocatorum requisita quatuor. Et quæ?
12. Advocatus ignorans tenetur ad restitutionem clienti.
13. Doctores ignorantes peccant mortaliter.
14. Advocatus causa injusta ad quid teneatur?
15. Advocato, si causa sit dubia, quid agendum?
16. Advocati Pietas in defendendis egenis gratis.
17. Quota litis prohibita Advocatis.
18. Sportula non dabantur Advocatis Romanorum tempore.
19. Advocatorum fidelitas in quo consistat?
20. Advocati injusti finis est infernus.
21. F. Joann. de Parentibus Min. Generalis S. Francisci quomodo relicto Foro factus sit Religiosus?
22. Procuratores ad litres, quando peccent?
23. Talionis poena quid? & contra quos?
24. Notariorum requisita octo, ut boni sint.